

cognoscimus, CHRISTI NOMINE inuocato, de cuius uultu recte procedunt iuditia, sedentes pro tribunali sub logia magna Jadre ad nostrum solitum bancum iuris, dicimus et sententiamus et nostram sententiam diffinitiuam damus et proferimus in hiis scriptis, uidelicet, quia sententiamus et condemnamus dictum Nicolaum de Urbino ad dandum, soluendum et numerandum ipsi Luce de Ludrino, cuius est dictum nauigium, licet nauligatum per olim Petrum de Ludrino germanum ipsius Luce, ducatos quinquagintasex auri in auro, iuxta formam dicti instrumenti naulizamenti, pro eo quia dictus Nicolaus merces impositas per eum in dicto nauigio in Legena rediens a Narento uendidit, pro sue libito uoluntatis, et demum cum ipso nauigio declinauit Jadram, ubi dictus Lucas repperit ipsum Nicolaum, ut uerus patronus dicti nauigii, aliqua quantitate aualonie oneratum et una spata, cum pena dupli secundum formam dicti instrumenti; item condemnamus dictum Nicolaum ad dandum et soluendum ipsi Luce, uero patrono dicti nauigii, tantum quantum ipse Lucas iurauerit, a uigintiduobus ducatis auri infra, pro suis damnis, expensis et interesse, a dicto festo natiuitatis dominice proxime preterito usque ad diem quartum dicti presentis mensis februarii, substinuisse, iurante tamen dicto Luca suam petitionem de omnibus supradictis ueram fuisse et esse et se nil habuisse a dicto Nicolao in ratione premissorum nec aliquem eius nomine uel mandato; et sicut iurauerit exequatur secundum ordines Jadre, uictumque uictori in expensis legitimis condemnamus, dantes in pristaldum ad hanc nostram sententiam executioni mandandam, uirum nobilem ser Vitolum de Zadulinis, tribunum curie Jadre, ibidem presentem et intelligentem, presentibus ser Johanne de Cressiaua et ser Petro de Calcina, nobilibus ciuibus Jadre, testibus rogatis et aliis.

Archivio di Stato, Zara. Sezione notarile. Curia consulum et maris. Notaio Giovanni da Casoli e Pietro da Sarzana, sentenze fasc. 6, carte 6 t. e 7 r.

9

1410, 8 marzo.

Giovanni fu ser Pietro de Nassis, nobile di Zara, commissario testamentario di suo fratello Doimo, viene condannato a pagare, dai beni della commissaria, a Michele fu Giorgio, barcaiolo di Arbe, abitante a Venezia, 10 ducati che questi aveva sborsati quale caparra per certe pelli di animali.

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem M^oCCCC^oVIII, indicione III^a, die VIII mensis martii, tempore ut supra.

Nos Damianus de Cipriano et Nicolaus de Nassis, iudices curiarum consulum et maris ciuitatis Jadre, absente ser Simone de Pechiaro tertio iudice collega nostro, uisa, audita et intellecta petitione Michaelis barcaroli quondam Georgii de Arbo, habitatoris Venetiarum, contra et aduersus ser Johannem quondam Petri de Nassis, nobilem ciuem Jadre, ut commissarium quondam Duymi quondam Petri de Nassis fratris sui, de ducatis decem auri